



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 65. Quid addendum sit circa defectus corporis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

pariformiter docet, si talis esset in Religione professus vel nupsisset viro, & postea praevaleret sexus virilis, hoc ipso annullandam professionem & Matrimonium.

Q. 65. Quid addendum sit circa defectus corporis. 499.

§. 1. An ille qui ob vitium corporis inhabilis est ad Presbyterium, etiam sit inhabilis ad inferiores Ordines & Clericatum suscipiendum; & quid dicendum sit, si Clericatum habenti superveniat inhabilitas ad exercitium unius sed non alterius Ordinis, dixi l. 4. n. 780. 783. & l. 6. p. 2. n. 2221.

§. 2. Qui habet utrumque oculum integrum, sed nihil videt sinistro, dummodo dexter oculus eam vi videndi polleat, ut commodè possit illo omnia legere sine indecora faciei conversione ad populum, non est irregularis, ut autem hoc commodius possit, potest Missale tantò magis ad medium attrahi, uti præter citatos à *Busenb.* tenent *Nuv. Avila, Mol. Suar. Vasq. Sa, Dian. p. 4. tr. 2. R. 73. & p. 5. tr. 6. R. 22. Dicast. d. 7. n. 173. Pirrhing. l. 1. tit. 20. n. 6. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 7. n. 2. addens n. 6. veluti pro certa regula cum *Avila, Tol. Soc. &* aliis, quamvis aliquis defectum habeat, si tamen neque notabilem deformitatem contineat, ita ut scandalum in celebratione non causet, neque exercitium celebrationis impediatur, non facere irregularem; Unde si re ipsa erutus esset unus oculus, & alius v. g. vitreus ita artificiosè esset impositus, ut vix adverti posset, docet *Sylvius p. 1. v. Irregularitas cas. 4.* talem non fore irregularem, quia quando in Jure dicitur, quod qui amisit oculum sit irregularis, causa est, uti communiter explicant Auctores, quia in hoc est deformitas, ergo si nulla ad-*

501. fit deformitas, non sequetur inde irregularitas,
 §. 3. Si quis habeat pollicem & indicem,
 & tantum careat aliquid aliò digito, cujus defe-
 ctu non impediatur, quominus hostiam
 frangere & securè eam tractare possit, iudicatum
 est Colonia non esse irregularem, uti nec eum,
 qui amisit primum tantum articulum finistri
 pollicis.
502. §. 4. Dubium est an & quando surdaster fit
 irregularis, si non sit simpliciter surdus, nam sur-
 dus secundum Calepinum & commune omni-
 um iudicium dicitur, qui sensu auditus est spo-
 liatus: surdaster, qui non planè surdus est sed
 graviter audiens, vel alterà tantum aure surdus
 est: Esse irregularem docet *Corniculus*, quia est
 corpore vitiatus: sed probabiliùs contradicunt
Sayr. Bonac. Regin. Majolus, Graff. quos adductis
 locis sequitur *Diana* p. 2. tr. 17. & 3. *Miscel. R.*
 20. Accedunt *Suar. De cens. d. 51. f. 2. n. 13. Fill. tr.*
 19. n. 169. *Tamb. De cens. l. 10. tr. 4. c. 8. §. 1.*
Basseus, quia non omne vitium corporis causat
 irregularitatem, sed si simul afferat deformati-
 tem externam, vel impediatur usum Ordinis. Imò
Henriq. l. 14. c. 8. n. 3. Præpos. De irreg. q. 5. d. 14.
n. 113. & Nap. cum Gob. tr. 8. n. 682. dicunt ne-
 quidem surdum esse irregularem, tum, quia id
 nullo Jure videtur esse expressum, tum etiam,
 quia potest quis celebrare sine ministro, vel ex
 aliis signis percipere ejus responsiones esse fini-
 tas: sed in hoc meliùs contradicunt alii cum *Rè-
 gin. l. 30. c. 5. n. 50. Castorp. p. 11. n. 3. Dicast. n.*
170. 186. nam ita asseritur *Cap. 77. Apostol. &*
ratio est, quia nequit decenter exercere suum
Ordinem, facilè enim excitaret risum in popu-
 lo,

lo, dum vel aliquid extra tempus faceret, vel facere omitteret in tempore.

§. 5. Balbutientem ordinari posse dixi l. 6. p. 503. 2. n. 2222.

§. 6. Claudum non esse irregularem, si absque baculo & pede ligneo ad altare accedere, stare, & Ordinum functiones obire possit, quamvis unum crus sit brevius altero, ita Coloniae 2. Martii 1667. resolverunt 4. Doctores Theologiae ex Cap. *Si quis infirmitate* Dist. 55. Cap. *Nullus Episcopus* de consecr. Dist. 1. junctis Gloss. & habent Nav. c. 27. n. 199. Henric. l. 4. c. 8. n. 1. Mol. tr. 3. d. 70. n. 9. Castrop. tr. 29. d. 5. p. 11. n. 3. & consentit Laym. additâ tamen limitatione, nisi sit nimia deformitas.

Q. 65. *Quid addendum sit circa defectum natalium.* R. §. 1. Illegitimi omnes siue sint naturales siue spurii sunt irregulares ad quodvis Beneficium. vide dicta l. 4. à n. 750.

§. 2. Natus ex conjugata praesumitur filius mariti, etiam si constet, quod sub tempore conceptionis mater cum adultero habuerit copulam, si etiam marito patuit aditus ad conjugem. Nec tenetur talis filius credere matri etiam juranti eum esse ex adultero, tum quia mater ipsa rescire non potest, tum quia revelat propriam turpitudinem, ideoque non meretur fidem: unde etiam talis filius potest se habere tanquam legitimum quoad omnia & non irregularem. Haec omnia latè probant adductis legibus, Auctoribus & rationibus Sperell. Decis. 173. 174. 175. & Pignat. tom. 7. conf. 40. & tom. 9. conf. 153.

§. 3. Proles nata è conjugibus obligatis voto castitatis, non est illegitima nec irregularis, quia L. *Filium* 6. ff. *De iis qui sunt sui vel alieni juris*, dicitur

PPP 5 tur